

filius, requiescet super eum pax vestra, pax cum Deo non intrat, nisi peccatum expellatur. D. Nazian. orat. de pace. Quidam modum, ai, luce sese exerente nulla supersunt tenebra: fit ubi pax illuxerit, vicia omnia evanescunt. Sicut lux, & tenebrae non possunt simul consistere, sic peccatum, & pax minime simul possunt compati.

Pro quo ait Regius vates Psal. 36 n. 27. Declina a malo, & fac bonum; inquirere pacem, & persequere eam. Prius nos declinare a malitia jubet iustitiaeque adhaerescere, quam pacem requiramus; non utique nisi a iustitia amatoribus pax invenitur, ut affirmat ibi D. August. Vis venire ad pacem? fac iustitiam. Ideo Psal. mista dicit tibi, declina a malo, & fac bonum. Et cum jam declinaveris a malo, & feceris bonum, quere pacem, & persequere eam.

Maxime ponderandum est id, quod dicitur Psal. 84. n. 11. Iustitia & pax osculatae sunt. Intimo amoris vinculo colligatae sunt iustitia, & Pax. Pro quo eleganter de suo more audientus est D. August. ibi: Fac iustitiam, & habebis pacem; ut osculentur se iustitia, & pax. Si non amaveris iustitiam, pacem non habebis. Amant enim se duae istae, iustitia, & pax; & osculantur se; ut qui fecerint iustitiam, inveniant pacem osculantiem iustitiam. Duae amicae sunt: in forte unam vis, & alteram non facis. Nemo est enim, qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines: Vultis pacem? Vno ore tibi respondet totum genus humanum: Opto; cupio, volo, amo; Ama & iustitiam, quia amicae sunt iustitia & pax. Si amicam pacis non amaveris, nonne amabis ipsam pacem; nec veniet ad te. Tu quere litigas cum iustitia? Ecce iustitia dicit tibi: Ne fureris; & non audis. Ne adulteris; & non vis audire. Inimicus es amicae meae (dicit tibi pax) quia interrogavit: amica sum iustitiae, quemcumque invidero inimicum amicae meae, non ad illum accedo. Piculum duxi, unum apicem huiusce sententiae fraudare.

QUESTIO XV.

Quare Joannes imprecatur gratiam & pacem ab eo, qui est, qui erat; & qui venturus est; non potius dixit, ab eo, qui futurus est, ut videretur dicendum?

Richardus Victorin. sicut & D. Anselmus, existimant sub his verbis, ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est: solum Filii personam denotari, ipse enim essentialiter Patri coaeternus cum ipsoque erat in primo rerum molimine mundum creans, & in fine saeculi in gloria Dei Patris venturus est ad unive sale omnium iudicium. Per septem spiritus cum multis aliis Doctoribus, de quo quaestione sequenti, interpretatur Spiritum sanctum qui licet per naturam in se simpl. x sit, tamen per gratiam in donis, quae nobis communicat, sepriformis est; sed statim insurgit dubitatio, cur Joannes in sua salutacione ad Episcopos

Ubi malum timetur, ibi magis remedium applicandum.

Richard. D. Anselm.

Alia solum de Filio, & Spiritu: Sancto facta mentionem non vero de Pa. re, an quia salutatio ab eo, minoris esset efficacia: minime: cur ergo Pa rem praetermittit: quia de illis duabus personis Filio & spiritu sancto omnes ferè haereses exortae sunt; de Patre, vero ratiissime Et cur Joannes illas duas Divinas Personas exprimit; quia ubi timendus est error, ibi res magis aperta, ac explicanda, ut applicato remedio radicitus fallitas eradicetur. Sic ait citatus Richardus: De patre tacet, quia de Creatore nemo male senserat, nec de ipso error aliquis surrexerat; de persona vero Filii, & Spiritus sancti, idcirco facit mentionem, ut de fide legentium sensuram, si oborta fuerit, dubitationem dissipet: dicit de persona Filii, & Spiritus sancti; quia de ipsis contra ferè haereses oriuntur in Ecclesiis. Idem habent D. Anselm.

Quaestio tamen est; cur, cum Joannes tam fervide gratiam, & pacem fidelibus deprecatur, dicens: Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: non dixit, & qui futurus est, ut consequenter videbatur dicendum, ut illud verbum substantivum per omnia tria tempora discurreret, sed addit: Qui venturus est? R. Et respondet Mendosa in lib. 1. Reg. cap. 2. vers. 10 in Exposit. n. 36, quod potius voluit Joannes, de iudicio in novissimo die, quam de regno aeterno Christi facere mentionem, pro certo habens, hanc memoriam Christi iudicari utiliore nobis, quam illam Christi regnatori, sine dubio futuram: cum ex illa saepe varia praesumptio, ex hac vero non nisi iusta formido oriatur. Unde perbellè dixit D. Ambros. l. 1. offic. cap. 26. Nihil est ait, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus, eum iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delecent.

Cum David se maxime videret persecutum à Saule, ait ei: Judicet Dominus inter me, & te. 1. Reg. 24. n. 13. Cur David Saule deum iudicem objicit, cur non potius deum fortem, vel omnipotentem sed Deum iudicem? Ut iudicii timore, Saule nequitiam refraneret, & peccatum ab ejus animo eliceret, ut ita eum ad meliorem frugem revocaret, cum ad hoc validissima sit iudicii memoria. D. Chrysol. homil. 2. de Davide, & Saule. Judicet Dominus: Hoc verbum dixit, non quod cuperet puniri Saulem, sed ut illi formidinem injiceret, ventura condemnationis commemoratione.

In primo die divisi Deus lucem à tenebris Genes. 1. n. 4. Ubi Rupertus lib. 1. c. 10. D. Augustin. ac alios magnos Patres secutus, per divisionem lucis à tenebris, divisionem factam inter Angelos bonos ad Patriam, & malos ad gehennam interpretatur. Cur ergo statim in primo orbis die, illud acerrimum iudicium inter bonos, & malos Angelos exercetur? Credo ut jam tunc repraesentaretur illud acerrimum iudicium in extremo orbis die inter bonos, ac malos homines exercendum: atque adeo ut homines ab incunabulis, statim illud Angelicum iudicium jam factum contemplant, de suo humano iudicio tandem faciendo expavescant. Ita ferè Rupertus lib. 4. de operibus Spiritus sancti cap. 2. Respicimus, ait, ad illam diem, & consideremus administrandum operum Dei dispositionem

Richard.

D. Anselm.

116.

Valde utilis extremi iudicii recordatio

Mendosa.

D. Ambr.

117.

1. Reg. 24. Iudicii memoria terret.

D. Chryl.

118.

Genes. 1. Rupert. D. August.

Deus voluit ut homo à sua creatione timere iudicium.

Rupert.

dispositionem, qui quasi aditum terribilem, post sui timorem, ad custodiendum introitum, & exitum Scripturas, sive operum suorum; ut quisquis ad cognoscendum Deum ingreditur, & introitum inveniat, cur valde, & ex exitu audiat, cur multo maxime contremiscat.

QUESTIO XVI.

Quinam sint hi septem Spiritus, de quibus Joannes hic facit mentionem?

Postolus in praesenti suis deprecatur gratiam, & pacem à Deo, & a septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt. Quinam sint hi septem Spiritus maxime dubitatur. Primò Aretas, Primalius, Haymo, S. Brunonius Astenosus, Beda, Rupertus, Ansbertus, D. Thomas Joachimus Abbas, quibus ex Recentioribus adherens Alcazar, Gagnæus & alii intelligunt septem dona Spiritus Sancti, id est, ipsum Spiritum sanctum, qui est auctor septem donorum. Haec expositio, ut ait Galatinus, potius est moralis, quam literalis; nam in littera est aliquanulum durum, nec enim video quomodo de Spiritu sancto dici possit: Qui in conspectu throni eius sunt. Ipse enim potius est in throno, ut Dominus, & Deus, quam in conspectu throni quod more Scripturae, de iis dicitur, qui Deo ministrant, & idè Joannes aliter loquitur de Deo, qui est, qui erat, & qui venturus est: ac de his Spiritibus qui in conspectu throni sunt, ut recte notavit Andreas Caesariensis.

Aretas Primal. Haymo. S. Bruno. Beda. Rupert. Ansbertus D. Thom. Joachim. Alcazar. Gagnæus. Galatin.

119.

120.

121. Septem Angeli.

Clem. Alex.

quo veritate eorum effigies reperta sunt; & Romæ extat templum dedicatum B. Virgini Angelorum; sive septem Angelis stipata: & circumdatae sub Julio III anno 1551. qui locus, cum esset ob bella profanatus ac neglectus, iterum à Pio IV die 5. Augusti anno 1561. ob illustrissimas revelationes, idem Virgini cum septem Angelis est consecratus, & à Gregorio XIII. ac aliis Summis Pontificibus est illustratus magnis privilegiis.

Hi septem Angeli Principes aulæ celestis & Ecclesiarum in terra praesides, ac mediatores secundarii inter Deum & homines. ut eos appellat Tirinus, dubitabis, cujusnam ordinis sunt Archangeli eos vocat Vasquez 1 p. disp. 180. n. 3, & Serarius in cap. 12. Tobiae. Seraphinos dicunt Galatinus, Fontana, Salmeciron. Et primogenitos Angelorum Principes, Clemens Alexandrin. citato loco eos appellat.

Horum nomina sunt Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Salatiel, Eudiel, Barabiel; ut revelatum est B. Amadeo, & testatur chronica Ecclesiae S. Mariae Angelorum Romæ, de qua modò dixi, ita Galatinus Serarius, Salmeciron, Masellius, Victorellus, Tirinus, & alii.

Ab his ergo septem Angelis Joannes gratiam, & pacem precatur; non tanquam ab auctoribus gratiam postulat; sed sicut in aula Regis, qui habet gratiam, & benevolentiam familiarium intimorum Regis; etiam dicitur habere gratiam ipsius Regis; sic Joannes hos sanctos Angelos rogar, ut cum tanquam primores assistant coram deo, ab ipso gratiam his Ecclesiis impetrent; & ut etiam nos ejus exemplo gratiam, & pacem ab his Angelis postulemus, non tanquam ab auctoribus, sed tanquam ab administris.

Dices: Si septem Spiritus, sunt septem Angeli, quomodo proponuntur Christo, nam statim subditur, & à Iesu Christo: Valde alienum est ut servi domino praeparantur. Respondemus, nullum absurdum esse praeponi Angelos Christo, cum de eo esset continuanda sequens oratio illiusque laudes à Joanne essent vulganda, à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, Princeps Regum terræ, & sic etiam D. Matthæus Davidem praeponebat Abraham. Iiber generationis Iesu Christi, Filii David, Filii Abraham. Quia series generationis ab Abrahamo statim texenda erat. Abraham genuit Isaac.

Secundò ob singularem humanitatem domini mei Iesu, qui sicut secundam naturam, seu inferiorem ab Angelica, hypostaticè sibi unire decrevit, ita secundum reverentiae locum obtinere non renuit. D. August. explicans illa verba Regii vatis Psal. 18. n. 7. A summo Caelo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus. Ita ait. Ipse tanquam sponsus, cum Verbum caro factum in utero Virginali thalamum invenit, atque inde natura conjunctus humane tanquam castissimo procedens cubili, humilis misericordia infra omnes, foris maiestate super omnes, exultavit ad currendam viam. Expende illud humilis misericordia infra omnes.

114. Cuius ordinis

Vasquez. Serarius. Galatinus. Fontana. Salm. Clemens.

115. Horum Angelorum nomina

116. Ab his Angelis, ut ab administris Joannes postulat pacem

127. Diluitur objectionis.

Matth. 1.

118. Christus Dominus omnium hominum miles vult apparere. D. August. Psal. 18.

QUÆSTIO XVII.

Quare isti septem Spiritus dicuntur stare in conspectu Throni Divina Majestatis?

IN sensu literali, ac nostra, & communi sententia, quam explicavimus, quæstione superiori plana, & manifesta est ratio; quia isti septem Spiritus Angelici, quasi stipitatores, ac servi administratorii, astant coram Divina Majestatis throno, ad ejus jussa exequenda, ac implenda, ut dixi superiori quæst. Quia tamen multi Patres, per hoc septem Spiritus, intelligunt septem dona Spiritus sancti, non erit incongruum, ut in hac eorum sententia explicemus, quid ipsi per thronum Dei intelligant, quæ tota sententia est mystica, & moralis.

Respondet Albertus Magn. Thronus ait, dicitur Ecclesia, in qua per gratiam Deus sedet, & requiescit; in conspectu ejus sunt septem Spiritus, quia divisionem septem donorum in suis fidelibus à Christo recipit. Per thronum intelligit Ecclesiam; cum ergo per septem Spiritus interpretentur septem dona Divini Spiritus, dicuntur stare in conspectu Ecclesie, ut eam illustrent, illuminent, ac omni dono facundent, in hac etiam sententia est D. Bruno Alentensis, ac alii Patres.

Secundò, Joachim Abbas: Dicuntur, ait, ipsi Spiritus manere ante thronum Dei, quia illos qui replentur ab his, faciunt manere, & assistere coram Deo, & esse quidem luminaria in conspectu Ecclesie, sicut de Domino dicitur per Psalmistam 19. Dux itineris fusti in conspectu ejus. Throni nomine dicitur anima justorum, & qui ab his donis replentur, dicuntur assistere coram Domino, tanquam luminaria fulgentissima, ut alios doceant, & illuminent.

Tertiò, Haymo: Anima justis sedes est sapientie; in conspectu throni conspectu Spiritus sanctus est; quia in Sanctorum memoria requiescit, & filios possidet, eorumque opera disponit, & ad Dei amorem, & proximorum accendit. Per thronum interpretantur Sanctorum animæ: Dicitur ergo Spiritus sanctus cum suis septem donis esse in conspectu throni, quia Deus in Sanctorum mentibus, tanquam in throno, requiescit, & in eis tanquam earum possessor permanet; Spiritus sanctus est, qui in Sanctorum memoria requiescit.

Postquam Daniel divino afflatu explicavit illud mirabile somnium: Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & hostias, & incensum præcepit, ut sacrificarent ei. Daniel. 2. num. 46. Unde magnus Rex venit in hanc cogitationem, ut divinum cultum, ac reverentiam deferret captivo adolescentulo? Si hominem videbat, cur tantam adorationem ei impendit, ac si Deum in templo suo adoraret? Cognovit Imperator præclaras Danielis virtutes, ejus modestiam, humilitatem, sapientiam, & reliquas; & inde non ut hominem, sed ut Dei Templum, in quo est Dei sedes, veneratur. Richardus de S. Vi-

Daniel. 2. Iustus templum, in quo Deus sedet.

Richard.

ctor. de eruditione interioris hominis part. 1. cap. 36. Illum, ait, quia veri Dei templum esse apprehendit, tali honore a gravum judicavit.

Elegantissima illa Tyri navis describitur ab Ezechiele cap. 27. num. 6. inter multa alia dicitur de ea: Transstra tua fecerunt tibi ex eboze Indico. Transstra, ut explicant Hector Pintus, Caesar, & alii, id est, sedilia remigum Septuaginta transstra legunt templa. Quid habent sedilia ex eboze cum templo? Multum sanè, qui in virtute, ac justitia pulchrioribus eboze antiquo, & ita candidi, ac albi puritate, ut cum eodem assimilentur, fortisque, ac robusti constantia existunt, ut etiam cum eboze combinentur, hi sunt sedilia, ac templa Dei, in quibus Deus inhabitat.

134. Ezech. 27.

Hector, Pintus, Caesar.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Christus D vocatur hic à Joanne, testis fidelis? & expenditur textus connexio.

MULTI fidelissimi testes dati sunt à Deo; sic & infra cap. 2. num. 13. dicitur: Antipas testis meus fidelis. Sic & Sancti Apostoli de Divinitate; ac humanitate Christi, præclarum testimonium per totum orbem dederunt; sic & sancti Martyres, suo sanguine suo, in confessione persistentes, de Christo, ejusque doctrina magni testes steterunt; quare ergo per antonomasiam de Christo dicitur, testis fidelis.

Respondet Richardus Victorin. cap. 2. Testis fidelis, quia de omnibus, quæ per eum testificanda erant, in mundo testimonium fidele perhibuit; testis fidelis, quia quæcumque audit à Patre, fideliter discipulis nota fecit; testis fidelis, quia viam Dei in veritate docuit; nec ei cura de aliquo fuit, nec personas hominum respexit: Testis fidelis, quia reprobis demonstrationem, & elocis salutem nuntiavit; testis fidelis, quia veritatem, quam nos docuit, miraculis confirmavit; testis fidelis, quia testimonium sibi à Patre, nec in morte negavit; testis fidelis, quia de operibus malorum, & bonorum in die iudicii testimonium verum dabit. Per antonomasiam dicitur Christus testis fidelis ex tot, tantisque capitibus: sicut ut est in Græco: Ille testis fidelis. Sic & de eo ait David Psalm. 88. num. 38. Testis in Cælo f. Psal. 88. & Isaias de Christo ait cap. 55. n. 4. E-re testem populi dedi eum.

136. Apocal. 1. R. v. dubitandi.

Richard.

Psal. 88. Isai. 55.

Christus veniens in mundum, testatus est mundo ea, quæ vidit, & audivit in Cælo, à Deo, & de sancta Trinitate; ac præsertim Dei erga homines benevolentiam, dilectionem, & misericordiam testificavit, qua placuit, homines lapsos per Christum redimere, ut ait D. Augustinus ad citat. Isai locum: Christus fuit testis divine erga homines charitatis. Testatus, quæ est etiam novum sædus divine bonitatis de vera, ac sana doctrina, de gloria, ac beatitudine hominibus danda. Christus explevit ea, quæ pater mundo promisit. D. Hieron ibidem: Ille testis est omnium, quæ pater mundo spondit, & præstitit. S. Ambros. D. Cyrillus, Ilichius: Testis fuit, prophetas ornes, & promissa Dei

D. August. Explicatur quomodo Christus dicitur testis

D. Hieron. D. Ambros. D. Cyril. Ilichius.

Joan. 18.

138. Connexio textus.

Veritas virtus propria Regia

Isai. 7.

D. Basil.

139. D. Basil.

Isai. 20.

Veritas non creditur ab humili, ac vili.

Dei esse completa. Testatus est etiam futurum apud omnes iudicium universale, & resurrectionem, ac retributionem bonorum, ac malorum; de his quæ omnibus ait ipse apud Pilatum. Joan. 18. n. 37. Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati. Unde ipse Christus alios testes scilicet Apostolos, ac Discipulos subdelegavit, qui hoc ejus testimonium explerent, & perficerent, ac prædicarent.

Perpense modò connexionem, ac seriem textus, à Jesu Christo, qui est testis fidelis; & adjungitur; Princeps Regum terra: ac merito sanè si lelitati verborum, ac veritati adjungitur Regia dignitas, valde enim veritas annexa est Regiæ majestati. Cum isaias se à populo male acceptum fore putaret, & de Christo infante magna eructare vellet: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Isai. 7. n. 14. Achasum Regem aperta voce compellat num. 13. Audite ergo domus David: Regem ipsum intelligens, Cur non alium con-vocat, nisi ipsum Regem, ut tam sublimia, & alta audiat, ac populo explicet: ut ex Regia auctoritate fidem tanto oraculo homines indubitanter præberent. In hac sententia est Basiliius, ibi: Sermones, ait, tamis ac rebus, perquam utiliter sunt Regi, ut per ipsum, quæ factura dicebatur à Propheta, in omnes divulgarentur: quæ à Rege evulgantur multum animos conciliant.

Sed rogo: itane balbus erat vates, ut non posset rem expedire sine voce regia? Addit Basiliius: Foris Isaias nihil imperasset fidei per hominum invitam, ob reliqua vita humilitatem Erat quidem Propheta homo vita sanctus, sed veste humili, & apparatu paupere, ut patet ex cap. 20. num. 2, ubi ait ei Dominus: Solve Saccum de lumbis tuis, & c. Ac proinde nil auctoritatis haberet apud homines, qui hominem vestitu meriti solent, merito ergo Regem vocat prædicatorem qui dictis Prophetis pondus adderet apud homines.

QUÆSTIO XIX.

Quare Christus dicitur primogenitus mortuorum?

Laudes Christi decantans Joannes, ab ipso hic appellatur, primogenitus mortuorum. Sic etiam ab Apostolo Paulo ad Col. 1. num. 15. & num. 18. & 1. Corinth. 15. num. 20. dicitur: Primus dormientium. Vocatur ergo Christus primogenitus mortuorum. Primogenitus, id est, ante omnes alios resurgens, & quasi renascens ex mortuis, nam resurrectio est quadam regeneratio. Matth. 19. In regeneratione cum sederit filius hominis. Et licet aliqui ante Christum suscitati à Parente Elia, Elifæo, ac ab ipso Christo, resurrexerint; tamen illi tantum resurrexerunt ad præsentem vitam mortalem, rursusque mortui sunt: Christus vero primus fuit, qui resurrexit ad vitam beatam, & gloriam æternam, nunquam amplius mortuus. Ita communiter omnes Sancti Patres, tam hic quam ad citata loca Pauli. D. Ambrosius. D. Chrysostomus.

Theodoret Theophylactus Ansberrus, S. Thomas, D. Anselmus, & in hoc sensu dicitur à Paulo, Primus dormientium. Primitia dicuntur primi terræ fructus, qui o im in lege veteri, Deo offerebantur. Sic Christus post resurrectionem, quasi primitivus fructus de resurrectione, & renatus post resurrectionem Deo oblatus est.

Secundò, fuit etiam Christus primogenitus mortuorum, ordine dignitatis, ac meriti. Sic ait D. Ambrosius in præfati: Primogenitus proprie mortuorum ponitur; sicut primus in populo eos vocamus, qui non astate, sed honore, & dignitate ceteros antecellunt.

Tertiò, Christus fuit primus ex mortuis in Divina voluntate, ac intentione; in gloriam enim Christi omnia ordinata sunt. Quarto, causalitate, per Christum enim omnes resurgemus, & ex Resurrectione Christi Apostolus Paulus intulit nostram resurrectionem: Si autem resurrectionis mortuorum non est; neque Christi resurrexerit. 1. Corinth. 15. n. 3. Hæc fuit primaria mortis, ac Resurrectionis Christi causa, plena ablatio mortis, & vitæ reductio, de quo D. Thomas 3. part. quæst. 5. art. 1. fuit: que etiam Christi resurrectio exemplar nostræ resurrectionis. Paul. Rom. 8. n. 29. Nam quos præcavit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut si ipse primogenitus in multis fratribus.

Quintò, ut ait D. Bernardus Senens. tom. 1. serm. 52. art. 2. c. 1. Merito, ait, Christus dicitur primogenitus vivorum, ac mortuorum, quoniam prius in hoc sæculo à morte resurgens vixit; ut ipse in æternum viveret, ac filios in æternum vivificaret, non solum meritis, & gratia generaret: verum etiam nobis firmam spem de resurrectione præstaret redemptor noster suscepti mortem, ne mori timeremus; ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere consideramus. Christus primus resurrectionis immortalis, ut nos nostræ resurrectionis spem firmam haberemus, cum ipse sit caput nostrum, de sua resurrectione nobis ingerit fiduciam certam, quod etiam resurgemus.

Sextò, D. Ambrosius præter rationem datam; sic ait: Primogenitus eorum mortuorum Christus est; quia ipse primus, & caput omnium electorum suorum. Verum est quod ante Christi adventum multi mortui sunt, ut Adam, Abel, Noë, Abraham & alii. Tamen quia Christus suorum electorum caput est; dicitur primogenitus mortuorum, non quia ante alios fuisset mortuus; sed quia, cum sui torquerentur, cum ipsis erat in cruciatibus usque ad spiritus exhalationem, in illisque, tanquam membris suis compartebatur, ac commori videbatur; ac proinde primogenitus mortuorum, quia non solum cum suis mortem subibat, sed eam prior illis. amoris affectu, mori videbatur; nam etsi in se ante ejus adventum esset impassibilis, tamen cum suis vi amoris pari affectabat, quandam æquocationem patiendi sustinens, ne talis gloria expertus esset.

Auditis Christi miraculis, ait Herodes, Quem ego decollavi Joannem, hic surrexit à mortuis. Mart. 6. num. 16. Unde impius Rex in hanc venit cogitationem, ut Joannem in Christo venisse existimaret? Si vocis cum Verbo confide

Theod. Theophyl. Ansberr. D. Thom. D. Anselm.

141.

D. Ambros.

Christi resurrectio causa nostræ resurrectionis.

1. Cor. 15.

D. Thom.

Rom. 8.

148.

D. Bernard. Ex Christi resurrectione spes nostra resurrectionis.

144.

D. Ambros.

Christus vis amoris, cum suis videtur pari, ac mori.

145.

Marc. 6.